

ecclesiae sanctae Aefrae infra muros civitatis Misnensis constituti aedificia sui coenobii ampliare cupientes viam quandam curiae domini decani Misnensis deservientem, ipsos autem in suis aedificiis amplificandis impediendam, ab eodem domino decano postulantes impetraverunt, ita tamen, quod dicti fratres aliam viam per cimiterium sanctae Aefrae restituant competentem decano saepedicto, et ne citra²⁾ viam illam cuiusquam funus ulterius tumuletur. Cum igitur universitas burgensium Misnensium³⁾ et communitas militum provincialium et rusticorum parrochiae sanctae Aefrae attinentium⁴⁾ super eadem via suam voluntatem addiderit et consensum, nos habito discretorum et honestorum virorum consilio consensum eundem pariter et nostram super his permissionem sigilli nostri fecimus munimine roborari, ne cuiquam in posterum aliquis exinde dubitationis scrupulus oriatur. Datum et actum Misnae in dominica Reminiscere anno gratiae⁵⁾ M°. CC°. LVI°.

No. 161 nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden, No. 162 nach alten Abschriften im Chart. mon. s. Aefrae II. 68 u. 140.

Ursinus St. Aefra S. 122 ff.

2) circa No. 162. 3) burgensium nostrorum No. 162. 4) parrochiae supradictae attinentes No. 162. 5) Misne anno gr. No. 162.

No. 163. 1266. 15. Febr.

Der Probst Friedrich und das Capitel zu St. Aefra beurkunden, dass der Domherr Conrad gen. von Boruz, der Stifter des Altars des h. Thomas in ihrer Kirche, ihnen zu Abhaltung von Jahresgedächtnissen ansehnliche Geldzinsen unter näherer Bestimmung über die Verwendung derselben überlassen habe.

In nomine domini amen. Nos Fridericus dei gratia praepositus sanctae Aefrae in Misna, Heynricus prior totumque eiusdem ecclesiae capitulum omnibus in perpetuum. Quoniam ea, quae pro remedio animarum pia devotione fidelium statuuntur, rata pariter et inconcussa perpetua debent stabilitate gaudere, utile est, ut per litteras a quibus firmitatem accipiant roborentur. Hinc est quod tenore fatemur praesentium ac publice protestamur, quod Conradus dictus de Boruz Misnensis ecclesiae canonicus censum annualem ad aestimationem XLVI solidorum et IX denariorum, situm in locis et dandum similiter in terminis infrascriptis a Ditmaro ac eius heredibus sua propria pecunia comparavit, scilicet de curia Hertuici I marcam argenti in festo Donati, de curia Henrici Hanphuz XXVII denarios in assumptione, de curia Waltheri VI solidos et III denarios hoc modo, Walpurgis II solidos, in assumptione II solidos, Martini XXI denarios; de horto Golsin V solidos et III denarios hoc modo, XXX denarios Donati et Martini XXXIII denarios; de horto Fustonis II solidos Donati, de curia Gerberti XXX denarios in pasca, de curia Johannis dicti de Hersten XV denarios, de curia Rudegeri XV denarios Michaelis, de curia Heinrici opilionis II solidos Michaelis, de curia Martini XVIII denarios in cathedra beati Petri, item de uno macello duos lapides sepi, qui aestimati sunt ad III solidos, ut sic summa nominata superius sit completa. Idem vero C. pia ductus devotione censum iam praedictae summae emptum rite ac rationabiliter nec non liberum ab omni inpetitione